Cracovien. Exemptionis.

Rev. Pater : UNO veluti ictu convellitur ex imo universus *contrarius Restrictus*. Ejus namque Author est totus in eo, quod cessata olim Patriarchæ electione ex gremio Canonicorum nostri Ordinis, cessaverit etiam ejusdem nostri Ordinis amplissima, & universalis Exemptio, quodque ipsius Exemptionis Apostolica Privilegia revocata subinde fuerint a Xisto IV., Innocentio VIII., Pio IV., & Paulo V. Ast enim verò si hæc ita sunt, prout exadverso narrantur, & supponuntur, cur post eadem omnia toties fuit nostra ipsa Exemptio *judicialiter* agnita, & approbata? Sanè anno 1510. Vicarius Generalis Archiepiscopalis Curiæ Gnesnensis nonne judiciale edidit Decretum, quo duos nostri Ordinis Canonicos inter se litigantes *remisit ad Superiorem eorum TAMQUAM EXEMPTOS*? Ita constat ex *Summario num.*38. Præterea *anno* 1631. Commissarii ipsius Curiæ Gnesnensis *visa*, *lectaque Bulla Urbani IV., per quam à Jurisdictione Domini Archiepiscopi Præpositus est exemptus*, nonne statuit Decreto suo, *dictum Præpositum IN JUDICIO PRÆSENTI FORUM PATI NON POSSE*? Ità legimus in *Summario num.*39. *lit.A., & B.*

2 Rursus hoc ipso sæculo, in quo versamur, scilicet anno 1747. Nuntius Apostolicus, ad quem uti Judicem Exemptorum confugerat Præpositus Miechoviensis, molestias patiens in eadem Curia Archiepiscopali Gnesnensi, nonne formale interposuit Decretum, *quo circumscripsit Decretum Archiepiscopi Gnesnensis EX DEFECTU JURISDICTIONIS*, *mandavitque Causam in Tribunali suo proponi*? Ita habetur ex *Summario numer.*40. *litt.B., & D.* Insuper præviis duabus *Decisionibus*, eisque antecedentium *revocatoriis* nonne spectatissimum hoc Tribunal *an.*1739. definitivè pronunciavit, *Priorem, Canonicos, aliosque deferentes habitum SANCTI SEPULCHRI fuisse, & esse exemptos ab omnimoda Episcopi jurisdictione*? Sic patet ex Rotali Sententia in *Summario Additional. num.* 4. *litt. A.* Demùm novissimis hisce temporibus, nimirùm *anno* 1760. nonne Sacrum idem Tribunal plenissimè recognovit, *quod Ordo Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri jamdiù amplissimis munitus fuit Privilegiis, & signanter ab Honorio II., Innocentio II., Cælestino II., Gregorio XI., Bonifacio VIII., Urbano IV., & Leone X., quorum vigore ab ordinaria Episcoporum Jurisdictione universus eximitur Regularis idem Ordo*? Sic differunt *tres* egregiæ Decisiones *Præmislien. Præpositurœ super Conventualitate* 27. *Februarii* 1760., 22. *Januarii* 1761., 15. *Februarii* 1762. *coram Reverendissimo P. D. Decano*, atque ad formam hujusmodi Deci-

cisionum sic laudatum Tribunal constituit Sententia sua, de qua *in Summario num*.47.

3 Quid autem rei hoc est? Si enim post extinctam Patriarchæ Dignitatem extincta quoque remansisset Exemptio nostra, atque ejusdem nostræ Exemptionis Apostolica Privilegia si abrogata fuissent ab assertis Bullis revocatoriis, utique prò firmitate ipsius nostræ Exemptionis post jactatas revocatorias Bullas tot non emanassent judicialia Decreta, totque Res judicatæ in tot Tribunalibus, & in hoc præsertim oculatissimo Sac. Auditorio. Igitur dicendum est, quod in eisdem suppositis revocatoriis Bullis nihil omnino roboris recognitum fuerit contra nostri Ordinis firmissimam exemptionem, quemadmodum in terminis, ut ajunt, terminantibus aliàs respondit Sacrum ipsum Tribunal *coram Molin. decis*. 917. *num*.6. ibi = *Minusque obstat, quod prædicta PRIVILEGIA quantumvis amplissima abrogata remanserint PER SUBSEQUENTES CONSTITUTIONES REVOCATORIAS Summorum Pontificum Alexandri VII., Clementis IX., & Clementis X. Etenim ponderabant Domini, quod si in præcitatis* BULLIS REVOCATORIIS *aliquod robur inesse potuisset adversus* MONACHOS *Carthusiæ*, NON EMANASSENT TOT SENTENTIÆ, TOTQUE JUDICATA IPSORUM FAVORE IN PLURIBUS TRIBUNALIBUS, *postquam eædem Bullæ revocatoriæ fuerant promulgatæ*.

4 Dicendumque præterea est, quod ex eisdem judicialibus Decretis, eisdemque Sententiis utpotè emanatis in Causa Status exorta sit summa Authoritas Rerum judicatarum, ex qua interim præsupponenda juxta stylum, & praxim hujus Sacri Tribunalis non solum descendit firmissima interpretatio pro nostri Ordinis, nostræque Exemptionis non comprehensione in objectis Bullis revocatoriis, sed descendit etiam optimum, & manifestissimum jus favore ejusdem nostri Ordinis, nostrique Reverendissimi Generalis, ut in terminis Exemptionis individualiter *Rot. post Tamburin. de jur. Abbat. decis* 42. *num*.1., *coram Molin. decis*.833. *num*.1. & *seqq*., *in Burgen. Juris visitandi de Briliescha* 12. *Januarii* 1714. §. *Competentia coram cl. me. Scotto* ibi = *Quæ quidem Sententia Apostolici Delegati cum fuerit canonizata ab hoc Sacro Auditorio, ambigi non poterat, QUIN ESSET OMNIMODE ATTENDENDA, & faceret pro Archidiacono REM CLARAM, ET MANIFESTAM*.

5 Non minus insubsistens, quam ineptissima est contraria animadversio, quod Sententia revocatoria edita in Causa *Tyrasonen. Jurisdictionis, & Præeminentiarum*, relataque *in nostro Summario Additionali num*.4. restricta fuerit *quoad Personas* tantum nostri Ordinis, & firmæ remanserint præcedentes Sententiæ quoad Res, & Bona. Est enim insubsistens hujusmodi

ani-

animadversio; quia eadem Sententia revocatoria generaliter revocat, & annullat præcedentes Sententias, quemadmodum *ex eodem nostro Summario num. 4. litt. A.* ibi = *Dicimus, & definitive sententiamus, bene fuisse pro parte dd. Prioris, & Canonicorum appellatum A SENTENTIIS LATIS per Eminentissimum Corium, & Calcagninum, & malè, ac perperam PER ILLOS JUDICATUM, propterea que SENTENTIAS PRÆDICTAS FUISSE, ET ESSE REVOCANDAS, ET ANNULLANDAS, PROUT REVOCAMUS, ET ANNULLAMUS.*

6 Est etiam ineptissima contraria animadversio, nam ex Privilegiis Apostolicis nostro Ordini tributis si firma dijudicata fuit, minusque revocata Exemptio quoad Personas, idem sanè præsupponendum est quoad Res, & Bona, nec fieri, aut concipi potest, ut unum idemque Privilegium generaliter tribuens unam, eamdemque exemptionem respectu rerum, & Personarum d-ci debeat partim revocatum, partimque in revocatione noin compræhensum. Sed quorsum hæc? Sufficit nobis, quod in revocatoriis *Decisionibus*, & in revocatoria *Sententia* ad earum tramites obsignata dissertissimè præservata fuerit Exemptio quoad Personas, ut argui inde non possit, Privilegia ejusdem nostræ Exemptionis fuisse abrogata, & cessasse per extinctam Patriarchæ Hierosolymitani dignitatem, perque assertam Innocentianam Suppressionem, ut benè firmat *noster Restr. §. 38., & seqq. ad §. 43.*

7 Deterior est ea altera contraria Animadversio adversus nostram Rem judicatam in Causa *Præmislien. Præpositurae*, quod scilicet illa fuerit contumacialis. Etenim hæc etiam contraria animadversio non omnino subsistit, & est quoque ineptissima. Et quidem non subsistit omnino, quia licet in ea Causa non comparuerit Episcopus Præmisliensis, attamen adversus Exemptionem nostri Ordinis comparuit, & jura omnia deduxit alter Contradictor *Princeps LubomirsKi*, ut patet *ex Decisionibus* in eadem Causa editis, relatisque in *contrar. Restrictu §. 60.* Deinde observandum maxime est, quod ipse Episcopus Præmisliensis optime conscius de hujusmodi Causa, deque ipsis editis Decisionibus, si non reclamavit unquam, utique ejus silentio, ejusque taciturnitate approbavit, ratumque habuit id omne, quod in eisdem Decisionibus, eademque Causa extitit a Sac. Tribunali firmatum. Tandem ineptissima est contraria animadversio, nam Lippis notum est, ipsisque Tonsoribus, quod Res judicatæ hujus præsertim Sac. Tribunalis utcumque contumaciales sint, attamen semper constituunt jus irretractabile, quousque ope Restitutionis in integrum non fuerint revocatæ, deque medio sublatæ, quemadmodum ex authoritatibus in *nostro Restrictu §. 6.*

 Fir-

8 Firmissimis hisce Rebus judicatis accedunt post assertas Bullas revocatorias etiam agnitiones Episcoporum omnium, & præsertim Cracoviensium, de quibus *in nostro Restrictu* §. 15. Atque cæteras inter Episcoporum Cracoviensium agnitiones solemnis est illa, quam in Synodo Provinciali de anno 1620. exposuit tunc Cracoviensis Episcopus, qui agnita subsistentia nostrorum Privilegiorum ex parte Præpositi Miechovoviensis deductorum adversus ejus molimina, non dubitavit eadem Privilegia admittere, & a qualibet molestia protinus discedere, *Sum. n.* 44. *lit. A.B.C.D.E.,* & *F.* Accedunt Supremorum Poloniæ Regum præclarissima Testimonia, qui ab anno 1549. ad annum 1667. non dubitarunt de Exemptione nostri Ordinis palam, & publice, & apud Summum etiam Pontificem testari, ut probat *noster Restr.* §. 16. Accedunt & cætera alia nostræ Exemptionis monumenta, eaque longe posteriora ad prætensas Bullas revocatorias, quemadmodum *ex nostro Restr.* §. 15., & §. 43.

9 Putandum ne est, quod tot exteri Judices, & hoc Sac. Tribunal, tot Episcopi, & Reges nunquam agnoverint assertam revocationem nostræ Exemptionis, deque ea Sententias, & publica Testimonia exhibere voluerint, si revera illa cessasset per extinctam Dignitatem Patriarchæ Hierosolymitani, ac per assertas suppressionis, & revocationis Bullas? Sed veritas si in pretio est, eadem nostra Exemptio nec detrimentum accepit per cessatam electionem Patriarchæ Hyerosolymitani, nec revocationis præjudicium est unquam passa à Summis Pontificibus. Patriarcha enim Hyerosolimitanus non alter erat, nisi unus de gremio nostrorum Canonicorum Capitulariter electus, ut ipsis esset loco Superioris, seu Abbatis, quemadmodum *ex Summ. Addit. num.* 2. *litt. B.*, & *num.* 3. *litt. D.*; Cum autem electio ejusdem Patriarchæ cessaverit longe *ante annum* 1430., ut inquit ipse *contrarius Restrictus* §. 4.; Cumque post dictum annum 1430. tot Summi Pontifices non solum amplissimè confirmaverint Exemptionem nostri Ordinis, sed confirmaverint etiam absolutam jurisdictionem, absolutumque dominium, & potestatem *Præpositi Generalis Miechoviensis* super eodem universo Ordine, consequens inde est, quod ipse noster Ordo nunquam fuerit *Acephalus*, ut identidem blaterat *contrarius Restrictus*, nec unquam steterit sine suo legitimo Capite in locum dicti Patriarchæ ex authoritate Pontificum non obscure suffecto, centiesque postmodùm approbato ad hæc nostra usque tempora, ut relatis eorumdem Pontificum Bullis, & approbationibus latè probat *noster Restrictus* §. 38. 39. 40., & 41.

10 Et hinc nemo, cui tantisper cor sapiat, non intelligit, quam extraneus sit à casu nostro cumulus illarum *Authoritatum*, quibus ineptit *contrarius Restrictus* ad suadendum, quod, cessato

Pa-

Patriarcha Hyerosolimitano, cessaverint tanquam ex cessata causa Privilegia nostræ Exemptionis. Id enim procedit, ubi Privilegium tributum est ex aliqua causa momentanea, ut puta ratione Officii, vel Dignitatis inhærentis alicui particulari Personæ. Tunc sane, cessante Officio, vel Dignitate, cui alligata est Privilegii causa, cessat & ipsum Privilegium: Sed ubi Exemptionis Privilegium datum est alicui universali Corpori, seu Universitati, & datum est non ex causa momentanea, ast *in perpetuum*, tunc Privilegium non cessat, quousque durant reliquiæ ipsius universalis Corporis, ipsiusque Universitatis, quinimò in ipsis reliquiis integrè conservatur, ut distinguendo docet *Barbos. de jur. Eccles. lib.1. cap. 19. num.46.*, *Lambertin. de Jurepatr. lib.1. part.1. quæst.9. artic.3. num.39.*, *Donat. in prax. quæst. Regular. part.1. tract 4. quæst.11. num.1.*, *Begnudell. Bibliothec. Can.*, *& Civil. verb. Exemptio §. 12. num.96.* ibi = *Et ita destructo Loco, perit etiam Exemptio, si vero locus destructus sine spe refectionis fuerit, & nullæ illius remaneant reliquiæ.* =

11 Porrò dubitandum non est in casu nostro, quia dubitare non sinunt Apostolica Privilegia *in Summario num. 1., & seqq. ad num. 12.*, quod Exemptio tributa fuerit universo Ordini Sancti Sepulchri, & tributa quidem extiterit *in perpetuum*, ut eadem loquuntur Apostolica Privilegia, & probat *noster Restrictus §. 50.* Tributa etiam fuerunt non contemplatione Patriarchæ Hierosolymitani, sed tributa extiterunt, ut universus idem Ordo, ejusque Personæ, & Bona libera essent à quacumque Episcoporum, aliorumque Prælatorum, & Capitulorum molestia, ut relatis verbis eorumdem Privilegiorum probat *noster Restrictus §. 32.*, *& §. 36.* Hinc cum noster Ordo non secus hodiè opus habeat quiete, ac habebat antiquis temporibus, consequitur inde, ut duret adhuc ipsamet Privilegii causa, quæ respectu Regularium semper reputata fuit quies, & liberatio ab Episcoporum molestiis, ut relatis Concordantibus probat *Lotter. de Re Benef. lib. primo quæst. 24. num. 44.*, *& seqq.*, ibi = *Nam cum inferrerentur Monachis quatuor maxima incommoda, ex quibus eorum QUIES videbatur non modicum turbari &c., hæc fuit summa gravaminum, TOTAQUE EXEMPTIO MONACHORUM hac de causa per Sedem Apostolicam introducta, indeque factum, ut UNIVERSALITER omnia omnino Monasteria Regularia reputata fuerint exempta &c. Atque ex his satis etiam constat, alios non satis æquè pronunciasse, EXEMPTIONIBUS causam dedisse superbiam, vel ingratitudinem Episcoporum: Nam verius est, totum id promotum fuisse ex zelo Pontificum, ut Monachorum QUIETI pingius consulerent.*

12 Emersi a prætensa cessatione nostræ Exemptionis ex cessata electione Patriarchæ Hierosolymitani, accedimus ad ass. revocationem nostrorum Privilegiorum ex Bulla *Sixti IV.* Falsissimum sane est, quod hujusmodi supposita Bulla pertineat ad generalem revocationem nostrorum Privilegiorum, cum ipse *contrarius Restrictus* §. 3., & 28. non audeat impugnare, & admittat, quod eadem Bulla peculiariter, & nominatim evulgata fuerit ad effectum subjiciendi jurisdictioni Episcopi Tyrasonensis particularem Conventum Sancti Sepulchri in Civitate *Calatajubii*. Præterea hujusmodi ipsa Bulla suum non habuit effectum, nec observata fuit, ideoq. Sac. Tribunal innixum super observantia eidem Bullæ contraria pronunciavit contra ipsum Episcopum Tyrasonensem, ut superiori loco observavimus, & testatur *Decisio in Tyrasonen. Jurisdictionis super Reservatis* 22. *Junii* 1739. §. 2., ibi = *Quamvis enim verum sit, quod Privilegia exemptiva concessa per Sumos Pontifices revocata subinde fuerint in posteriori Bulla SIXTI IV., nihilotamen minus CUM BULLA ISTHÆC DEROGATORIA NULLO APPAREAT OBSERVANTIÆ MUNIMINE ROBORATA, & è converso &c., omnis æqui, bonique ratio exposcebat &c.* =

13 De exagerata *Innocentiana Suppressione* non sumus prætere a solliciti, postquam in nostro *Restrictu* §. 10., 11., 12., 13., 14., & §. 42. ad evidentiam usque demonstravimus, quod eadem jactata suppressio locum nunquam habuit in Regnis Poloniæ, nostroque Monasterio Miechoviensi, ejusque Membris per eamdem Poloniam existentibus nullum omninò attulit præjudicium. Reque vera *Julius II. de anno* 1506., scilicet post paucissimos annos ad dictam Innocentianam suppressionem, quæ extiterat de *anno* 1489., Summus, inquam, Pontifex *Julius II.* utcumque conscius de eadem tunc recenti Suppressione Innocentiana nonnè amplissimè confirmavit omnia, & singula exemptiva Privilegia tùm generaliter pertinentia ad universum nostrum Ordinem, tùm peculiariter tributa nostro Monasterio Miechoviensi, ejusque Prioratibus, & Conventibus ubique locorum existentibus? Sic profectò constat ex nostro *Sum. n.* 7., & 8.

14 Maximeque est dignum animadversione, quod laudatus Pontifex *Iulius II.* non clausis oculis, & re incognita devenit ad dictam Confirmationem nostrorum Privilegiorum, sed eadem confirmavit, postquam ipsa in authentica forma fuerant extracta per *Officialem Generalem Curiæ Cracoviensis* ex eorum publicis Originalibus, & transmissa ad ipsum Summum Pontificem, quemadmodum habetur in *Summario dicto num.* 7. ibi = *Præpositus Miechovensis considerans, IN QUAM GRAVES SCOPULOS NUPER ORDO NOSTER IN ITALIA inciderat, NE PARI CALAMITATE ETIAM IN POLONIA, VICINISQUE PROVINCIIS LOCA, ET MONASTERIA, QUÆ SUÆ JURISDICTIONIS ERANT,*

IN-

INVOLVERENTUR , *tantis procellis occurrere intendens*, *PRÆCLARISSIMORUM PRIVILEGIORUM A SUMMIS PONTIFICIBUS olim ipsimet Conventui Miechoviensi*, *Membrisque sibi annexis gratiosè concessorum* F E C I T *COMPILATIONEM , ILLAQUE* I N *FORMA PUBLICI INSTRUMENTI redacta* , *ET MANU OFFICIALIS GENERALIS CRACOVIENSIS* , *atque PUBLICI NOTARII subscripta*, ET SIGILLIS MUNITA ROMAM AD SEDEM APOSTOLICAM *transmisit* , *petens humiliter* , *quatenus* ORDO ANTIQUUS *tot Diplomatibus Summorum Pontificum nobilitatus*, IN SUA ANTIQUA OBSERVANTIA , E T S T A T U TUTE',ET TRANQUILLE' CONSERVARETUR . *Effecitque proinde* , *ut non solum in tranquillo portu* AUTHORITATE PONTIFICIS *feliciter tunc universali Ecclesiæ præsidentis* C O N V E N T U S SUUS C U M ANNEXIS SIBI MEMBRIS COLLOCARETUR , *verum etiam ne in futurum quis lacessere Ordinem* , *vel statum illius aliquo modo invertere audeat* , CUNCTA PRIVILEGIA *priscorum Pontificum* TAM UNIVERSO ORDINI *in genere* , QUAM IPSI CONVENTUI MIECHOVIENSI *in specie concessa* IN SUO R O B O R E CONSERVARI DECREVIT , AUTHORITATEQUE PONTIFICIA CONFIRMAVIT , *diro anathemate omnes percellens qui suo Decreto in aliquo contravenire præsumpserint* ,

15 Specificam hanc nostrorum Privilegiorum confirmationem , quam *Julius II.* tanta cum maturitate tribuit , non dubitavit triplici peculiari Bulla , de quibus in *Summario num.* 9. 10. , *&* 11. , specialissime approbare Maximus Pontifex *Leo X.* , ut latius exponit , & probat *noster Restrictus* §. 12., *&* 13. Omnia verò nostra Privilegia , omnesque Bullas eorum confirmatorias fuisse postmodùm de *Anno* 1680. maturrimè approbatas a Summo Pontifice *Innocentio XI.* ex Voto Sacræ Congregationis Episcoporum , & Regularium , abundè patet ex *Summ. num.* 12. *litt. A.*

16 Spreta prorsus replicatione , quod hujusmodi Innocentii XI. Confirmatio utcumque emanaverit re diligenter examinata in eadem Sacra Congregatione Episcoporum , & Regularium , adhùc habeat in ventre appositam assuetam Clausulam = *Dummodo PRÆINSERTA Indulta* , *aliaque PRÆMISSA sint in usu* = , quemadmodum ex *contrario Summario Additionale num.* 3. Principio enim est hinc sedulò observandum, quod hæc *Innocentii XI.* Confirmatio fuit admodùm seria ; dùm edita extitit post Votum dictæ Sacræ Congregationis , postque inspecta nostra Privilegia , eaque inserta , & relata in ipsa Bulla confirmatoria , ut ostendunt verba illa = PRÆINSERTA , INDULTA , A L I A Q U E PRÆMISSA = . Atque ideò

cum

cum eadem confirmatio dici debeat in forma specifica ex relato, & examinato Privilegiorum tenore, quæ confirmabantur, consequens inde est, ut dicta Clausula = *Dummodo sint in usu* = non multo in pretio veniat habenda, quia Confirmatio in forma specifica ex præinserto tenore Confirmati dicitur nova Concessio, robur desumens ex ipsomet confirmationis actu, & Confirmantis potestate ad *Text. in Cap. Venerabil. de Confirmat. util. vel inutil.*, *Rot. in Recent. decis.* 123. *num.* 24., *& seqq. part.* 19., *in Plocen. Bonorum* 4. *Octobris* 1726. §. 14. *coram Cornelio*, ibi = *Cum enim confirmata, & approbata fuerit à Cardinali Legato ex facultate impartita per Summum Pontificem Supremum Jurisdictionis Fontem, & quidem inserto toto tenore, Confirmatio dicitur in forma specifica, robur desumente à Principe confirmante.*

17 Deinde prædicta Clausula = *Dummodo sint in usu* =, *non aliud importat*, quam removere consensum Confirmationis ab illis Privilegiis, quæ per contrarium usum fuerunt penitus abrogata, & ammissa. Ast Privilegia Exemptionis concessa toto Ordini Regularium, ut est casus noster, non abrogantur per non usum, nisi multa concurrant specialissima requisita, de quibus in nostris præcisis terminis post plures relatos distinctè tradit *Anaclet. in Jus Canonic. lib.* 5. *tit.* 32. *de Privileg.* §. 5. *nu.* 109., *& seq.*, ibi = *Clausula*, DUMMODO' SINT IN USU, *id importat, & insinuat, quod Papa, vel alius Princeps Privilegia*, QUÆ PER NON USUM, VEL USUM CONTRARIUM JAM CESSARUNT, AUT AMMISSA FUERUNT, *nolit de novo confirmare. Enarrantur Requisita ad hoc, ut Privilegia concessa* PER NON USUM, *vel usum contrarium cessasse, vel ammissa dicantur. Videlicet* PRIMO, *quod fuerit occasio utendi Privilegio: Secundo &c.* TERTIO, *quod voluntariè, seù liberè, non verò* PER VIOLENTIAM *omiserit uti Privilegio:* QUARTO, *quod non usus, vel usus contrarius Privilegii* PROVENERIT AB IIS, QUI RENUNCIARE POSSUNT PRIVILEGIO. *Interea hic colliges, quod clausula*, DUMMODO SINT IN USU *nunquam in aliquo obsistat* PRIVILEGIIS REGULARIUM, *quia Regularium Privilegia etiam cum gravamine aliorum concessa non uni Personæ*, SED TOTI RELIGIONI *conceduntur*, CONSEQUENTER ETSI' DATA OCCASIONE UNUS, VEL ALTER PRIVILEGIO LIBERE' NON UTATUR, VEL ACTUM CONTRARIUM EXERCEAT, PRIVILEGIO COMMUNITATIS MINIME' PRÆJUDICAT.

18 Reque vera nos jam probavimus *in nostro Restrictu* §. 50., *&* §. 62., quod Privilegia nostra utpotè concessa toti Ordini nullum pati debuerunt detrimentum ex conniventia, in cu-

curia, & facto etiam expresso quorumcumque Præpositorum, vel aliorum quorumcumque Canonicorum, qui eisdem Privilegiis uti aliquando omiserint. Quamobrem per non usum nostra Privilegia ammitti non potuerunt, atque ideo objecta Clausula illa = *Dummodo sint in usu* = nihil omnino operatur in casu nostro ad effectum enervandi relatam Innocentii XI., eamque specificam Confirmationem. Quamquam cur hæc omnia? Nonne evidentissime probat *noster Restrictus* §. 23. 24., & 25., & §. 47. & 48., quod nostra Privilegia fuerunt semper in usu, perpetuoque observata? Nonne probat etiam idem *noster Restrictus* §. 52. & *seqq. ad* §. 70., quod omnes contrarii antiquissimi actus sunt penitus ineptissimi ad infringendam eamdem nostrorum Privilegiorum observantiam? Quorsum ergo sæpius memorata Clausula = *Dummodo sint in usu* =, si in usu revera fuerunt, nec probatur exadverso, nec probari in æternum potest contrarius usus cum recensitis requisitis, sine quibus impossibilis est ammissio Privilegii universo Ordini concessi, ut est optimus *Text. in Cap. Acceden. de Privileg.*, *Rot. coram Ratto decis.* 105. *num.* 19., *in Perusina*, *seu Fulginaten. Abbatiæ* 12. *Maii* 1702. §. *Minus coram clar. mem. Priolo*.

19 Firma ex hisce *Innocentii XI*- specialissima Confirmatione nostrorum Privilegiorum, jam supervacaneum est differere de asserta, eaque longe antecedenti revocatione *Pii IV.*, de qua in *contrar. Additional. Summario num.* 1. Assueta tamen maturitate animadvertere ex gratia supplicamus, quod eadem supposita revocatio non est vera, quia Bulla *Pii IV.* data *in contrar. Additional. Summario dict. num.* 1., nihil aliud est, quam quædam generalis Confirmatio omnium Privilegiorum *Ordinis Melitensis* a præcedentibus Pontificibus *Martino V.*, *Sixto IV.*, *Julio II.*, *Alexandro VI.*, & Leone X. eidem Ordini concessorum, solumque per quamdam enunciativam in dinumeratione eorumdem Pontificum apparet insertum nomen *Innocentii VIII.*, quemadmodum *ex contrario Summario Addition. d. num.* 1., latiusque habetur apud *Cherubin. tom.* 2. *pag.* 7., & *seqq.*

20 Falsissima est asserta revocatio nostrorum Privilegiorum exadversò tributa *Paulo V.*; Etenim ubi est revocatio hujusmodi? Profectò ex historico Testimonio *in contrar. Summ. Addition. num.* 2., nihil aliud habetur, quam quod *Luigi XIII. alla dimanda del Gran Maestro di Malta scrisse al Marchese Trenes suo Ambasciatore a Roma, acciò procurasse da Papa PAOLO V. una Bolla per la Conferma dell' Unione.* Videant ergo Religiosissimi Patres, quibus armis exadversò pugnetur, & quibus desuper ineptiis tanto verborum fastidio se occupaverit *contrarius Restrictus* ad effectum evitandi summam vim, summamque efficaciam nostrorum Privilegiorum, quæ spatio *sex*

fer-

fermè *Sæculorum* fuerunt a Summis Pontificibus jugiter confirmata. Hisce verò in suo robore firmis, immotisque nostris Privilegiis, jam actum est de universo *contrario Restrictu*, nàm è conspectu Apostolicorum Privilegiorum ut quiescat omnino oportet quælibet Episcopalis Jurisdictio, cumque eadem Privilegia sint munita Clausula *sublata*, & *Decreto irritanti*, inde etiam est, ut si quid contrariis vetustissimis, nihilque ad rem nostram conferentibus Actibus esset aliquid tribuendum, adhùc nihil illis inesset roboris adversus eamdem Clausulam *sublata*, idemque *Decretum irritans*, ut latissimè probat *noster Restrictus* §.30., & 31., & §.49.

21 Audivimus inter informandum de jactatis quibusdam Visitationibus exadverso sub manica afferendis. Cavendum ab hisce Visitationibus, quia non fuerunt nobis communicatæ, nec eas vidimus, nec scimus, qua arte nunc afferantur, postquam hæc lis jamdiù incæpit *ab anno* 1774.; & semel proposita jam fuit in Sac. Tribunali.

Quare &c.

Dominicus Franci.

R. P. D.

A Z E D O

Cracovien. Exemptionis

Super Bono Jure.

P R O

Rmo D. Matthæo Buydecki Præposito Generali Canonicorum Regularium Ordinis SS. Sepulchri.

C O N T R A

R. D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien.

Gg

Responsio

21

Typis Lazzarini 1777.